SERIES
REGUM HUNGARIAE
E NUMMIS AUREIS,

Quos vulgò Ducatos appellant,

Collecta & descripta,

ac

IMP. CAES. LEOPOLDO,
P. FEL. AUG. P. P.

OPTIMO PRINCIPI,

humili ac devotâ manu oblata

â

IACOBO A MELLEN,
Lubecensi.





LUBECAE,
Sumptibus Io. Wiedemeyer, Bibl.
MDCXCIX.

S. IMPERATORIAE
REGIAEQVE MA-
IESTATI
Augustissimi Invictissimique Principis
ac Domini
LEOPOLDI,
ROMANORVM IMPERATORIS
S. AVG. GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHE-
MIAE, DALMATIAE, CROATIAE,
SCLAVONIAE
REGIS,
Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ,
&c. &c.
Domini sui longe
Clementissimi,

Hoc qvicqvid muneris eſt,
ſacrum eſſe jubet,

S. CAES. MA-
IEST. IPSIVS,

devotisſimus

IACOBVS A MELLEN,

Lubecenſis.

Qvan-





Vanta gaudiorum ſolennia O. M. olim humani generis Servator adumbrare voluerit, comparando regnum Cœlorum ΑΝΘΡΩΠΩι ΒΑΣΙΛΕΙ, ΟΣΤΙΣ ΕΠΟΙΗΣΕ ΓΑΜΟΥΣ ΤΩι ΥΙΩι ΑΥΤΟΥ, non tantum Ipſe nunc præcipue experiris, AVGVSTISSIME IMPERATOR, ſed etiam fideles ac devoti MAIESTATIS TVAE ſubditi abunde colligunt. Dum enim Sereniſſimo ma-

jori

jori natu Filio IOSEPHO, Potentissimo Romanorum ac Hungarorum Regi, exoptatissimas, ac totius Europæ voto felicissimas, cum WILHELMINA AMALIA Brunsvico-Luneburgensi, Nuptias paras, qvid TIBI vel acceptius, vel Nobis, immo cunctis Domui Augustæ serio addictis, lætius, vel denique toti Christiano Orbi jucundum magis evenire posset & festivius? Loqvuntur id tot edita ubivis gaudiorum documenta publica; tot exsultantium Imperii procerum, ac fausta qvævis ominantium, triumphi; tot uno qvasi ore redditæ, imôque pectore profectæ gratulationes; tot ampla denique donaria, TVÆq; partim MAIESTATI, partim vero Serenissimis Neonymphis, in infu-

catum

catum devoti non minus qvam ovantis animi ſignum, miſſa munera. Hæc inter vix referri qvidem meretur exiguus NVMMORVM AVREORVM Manipulus, qvem ſimilem ob cauſſam hîc exhibeo, feſtivæqve gratulantium turbæ immiſtus, humillima devotâque manu S. IMP. TVAE MAIESTATI conſecro. At, qvoniam iſtâ nuncupatione nihil aliud præſto, qvam ut vere & proprie CAESARI EA DEM, QVAE CAESARIS SVNT, immo talia, qvibus haud vulgare AVREI Imperii, ſimulque diuturnioris regnantium SVCCESSIONIS, omen ineſt; hoc qvalecunqve devotisſimi animi τεκμήριον S. CAES. TVAE MAIESTATI non ingratum fore confido, Deumqve

qve

qve supplex veneror, ut votis Christiano Orbe hactenus susceptis annuens, præsentia non tantum DOMVS AVGVSTAE Gaudia; sed Florem qvoqve illius, Imperium, & omnimodam Felicitatem, perennare jubeat.

Scrib. Lubecæ, An. MDCXCIX. d. XIV. Febr.



SERIES

SERIES
REGVM HVNGARIAE
è Nummis aureis.

I.

LVDOVICVS.

SANTVS. LADISLAV9. *Effigies S. Ladislai, Regis Hungariæ, coronati & togati, dextra bipennem, sinistra globum tenentis.*

LODOVICI. D. G. R. VNGARIE. *Insignia Hungarico - Neapolitana.*



Vi altero hujus Nummi (& seqventium) latere exhibetur, SANcTVS LADISLAV9, sive LADISLAVS, Rex, tàm ex more sæculi, qvàm singulari devotione, pridem tanti habitus est, ut successores monetam effigie ac nomine ipsius signaverint: Nam, qvemadmodum *Bohemis* olim familiare fuit, memoriam *S. Wenceslai* sui nummis tradere, eorumqve ope in παῖδας παίδων

 pro-

propagare, qvod ipse *Wenceslaus* martyr (si *Hagecio* in Annal. Bohem. fides habenda est) â fratre parricida *Boleslao*, post mortem ei apparens, petiit; ita qvoqve *Hungari* existimârunt, se Regem suum *Ladislaum*, rerum gestarum magnitudine, vitæqve sanctitate celeberimum, nullo pacto meliùs ab oblivionis injuria liberaturos, qvàm si nomen vultumqve ipsius auro & argento expressum, perenni numismatum beneficio posterorum oculis subjicerent.

Fuit autem hic *S. Ladislaus Belæ* Hungariæ Regis filius, & sæculo post natum Servatorem undecimo vixit, cujus anno septuagesimo qvinto (1075.) *Geysæ* fratri in Hungariæ Regno successit; vivo licet adhuc *Salomone* Rege, (*Henrici IV.* Imp. affine) qvem irritati proceres ob sævitiam rejecerant. Cum isto *Ladislaus* qvidem fœdus pepigit, ut solo nomine Regio, annuoqve stipendio tantæ dignitati congruo, contentus viveret; At qvoniam inqvietus *Salomonis* animus hoc recusavit, eundem captum carceri tradidit, ac paullò post dimissum, cùm ope *Cuthesci* Chunnorum principis res novas moliretur, prælio superatum eò adegit, ut in eremum secedens vitam egerit solitariam. Hinc *Ladislaus* solus Hungariæ imperans, Dalmatiam, Croatiamque adquisivit, Ruthenos ac

Polo-

Polonos domuit, nec non aliis id genus rebus fortiter ac feliciter gestis, ita inclaruit, ut, licet in numismate nostro saltim *togatus* appareat, nihilo tamen minùs etiam sago fuerit inclytus; adeòque meritò *bipennem* gestet, bellicæ virtutis symbolum, quemadmodum *globus, cruce* præditus, religiosam tranquillati imperii administrationem indicat.

Inprimis vero magnam *Sanctitatis* famam *Ladislaus* habuit, eâque centesimo tertio post mortem anno â Romano Pontifice in Divorum numerum referri meruit; præsertim, cùm varia post obitum miracula edidisse dicatur, quæ apud *Ant. Bonfinium*, Rer. Hungar. Dec. II. lib. IV. p. 233. legi possunt. Inde vulgô *Sancti* cognomen ipsi tributum videas, quod etiam nummo nostro inscribitur, licet mendosè SANTVS dicatur, quod culpa monetarii Itali, Neapolitano æquè ac Hungarico Regi *Ludovico* servientis, factum suspicor. Huc quoque pertinet *meniscus* sive *circulus*, caput ipsius ambiens, ceu ornamentum vulgò passim Sanctis addi solitum: de quibus meniscis, aliisque id genus Sanctorum diadematis, prolixè agit *Jo. Ciampinus*, Mon. Vet. de Musivis operibus, part. I. c. XIV. ubi eorundem originem, cum *Pignorio* & *Kirchero*, â Gentilibus

accersit, qui Cæsaribus Heroibusque suis hâc nota divinitatem adscribere voluerunt; rejicitq; *Salmurii* sententiam, meniscos illos pictorum erroribus tribuentis, qui tegumenta, ad avium stercora submovenda statuis imposita, in pictis etiam imaginibus adhibuerint.

Num in conjugio vixerit *Ladislaus* noster, haud satis liquet, cœlibem enim & ἄπαιδα decessisse, plurimi scriptores asserunt. *Bonfinius* tamen l. c. p. 232. Epitaphii Vesprinensis meminit, quod ab Antistite quodam, qui (ipso teste) *Gesla & Olheit Reginarum ossa congessit*, his verbis conceptum fuisse ait: *Ladislai Sanctissimorum Pannoniæ Regum consortum hic ossa quiescunt.* Idem quoque *Pyriscam* Ladislai filiam memorat, quæ Constantinopolitano Imperatori (& quidem, ipso judice, *Emanueli Comneno*) elocata fuerit. Vt ut ea sint, *Ladislaus* hic anno MXCV. III. Kal. Aug. undevicesimo regni sui anno vivis excessit, ac *Colomannum*, ex fratre *Geysa* nepotem, successorem habuit.

Sed satis diu nos S. Ladislaus tenuit. Progredimur jam ad LVDOVICVM, nummi istius auctorem, quem describimus. Is patrem habuit *Carolum* (sive *Carolum Robertum*, vel etiam *Caro-*

Carobertum,) Hungariæ Regem, *Caroli Martelli* Regis Neapolitani filium; matrem verò *Elisabetam*, filiam *Ladislai*, Regis Poloniæ. His parentibus an. MCCCXXVI. natus, defuncto patri an. MCCCXLII. in Regno Hungariæ successit, ac illud per integros quadraginta annos tanta virtute atque felicitate administravit, ut cœteros suæ gentis principes non æquârit modò, sed etiam longè superaverit.

At res ab isthôc Rege domi forisque fortiter & præclarè gestas persequantur alij; nobis sufficit, ea saltem memorâsse, quæ ad præsentem nummum explicandum pertinent: quò maximè videtur facere Expeditio *Ludovici* hujus in Italiam, ad ulciscendam fratris *Andreæ* mortem, & Regnum Neapolitanum adquirendum, suscepta. Immani enim facinore *Andream* istum *Ludovici* nostri fratrem, xv Regem Neapolitanum, propinqui quidam conjurati Aversæ fune serico strangulaverant, non abnuente ipsa miseri principis uxore, *Ioanna*, formosissima quidem, at simul incontinentissima fœmina; utpote quam sceleratum illum laqueum propriis manibus parâsse, *Pandulfus Collenutius* (Regn. Neap. l. V.) auctor est. Unde *Thomas Fuller*, Anglus, eleganti libro, qui vocatur *Holy and Profane State*, l. V. cap. II. p. 362. ait: *There goes a*

ſtory, that this Andrew on a day coming into the Queens chamber, and finding her twiſting a thick ſtring of ſilk and ſilver, demanded of her, for what purpoſe ſhe made it? She anſwered: To hang you in it; which he then little believed, the rather becauſe thoſe, who intend ſuch miſchief, never ſpeak of it before, h. e. Referunt, Andream hunc aliquando Reginæ conclave intrantem, eandemque craſſo funi ex ſericis argenteiſque filis contexendo intentam deprehendentem, ex illa quæſiviſſe, cui fini laqueum iſtum pararet? Reſpondit ei: Ut tu ipſo ſuffocèris; Sed hoc (quaſi joco dictum) Rex non credidit, cùm ii, qui tale ſcelus meditantur, ante perpetrationem ipſam non ſoleant de illo verba facere. Nefandam igitur hanc fratris cædem ulturus *Ludovicus*, cum exercitu in Italiam movit, captâque facilè Neapoli, & Dyrrhachii Duci (quem *Joanna*, cùm novo conjuge *Ludovico* Tarentino, Avenionem profuga, cuſtodem regiæ reliquerat) ereptâ, unanimi procerum conſenſu *utriusque Siciliæ* Rex fuit proclamatus.

Teſtatur hoc bipertitus averſæ partis nummi noſtri clypeus, qui ſimul *Hungarica & Neapolitana* inſignia continet. Nam tæniæ iſtæ tranſverſæ, quæ dextrum clypei hujus latus permeant, Regnum *Hungariæ* deſignant; cujus quatuor primaria flumina, Danubium ſcilicet, Dravum, Savum & Tibiſcum,

biscum, argenteis hisce in miniato campo ductibus notari, haud ita pridem in *Sylloge* nostra *Nummorum uncialium, ab Impp. cusorum*, p. 56. observavimus. Lilia autem, quæ sinistrum scuti latus implent, Regni *Neapolitani* sunt indicia. Nam, licet olim â *Normannis*, cùm ii Saracenos magnâ Græciâ ejicerent, ibique Regnum Neapolitanum conderent, insignium loco balthcum diagonalem, ex argento & cyano tessellatum, in campo rubeo gestatum ferant, quorum successores *Svevi* (propter nuptias *Constantiæ*, Regni heredis, cum *Henrico VI.* Imp. Sveviæ Duce) tres Leones nigros, auro inscriptos, adhibuisse dicuntur; *Carolus* tamen *Andinus*, (*d'Anjou*) *Ludovici IX.* Galliæ R. frater, â R. Pontifice *Vrbano IV.* an. MCCLXIII. Rex Neapolitanus constitutus, & triennio post â *Clemente VI.* coronatus, loco veterum istorum insignium *Lilia Francica*, secum è Gallia allata, totoque clypeo sparsa, (ac nondum, quod demum sæculo XV. ineunte factum, ad numerum ternarium reducta) substituit, quibus etiam reliqui (ex Andinis) Reges usi sunt. Hodie tamen alia insignium Neapolitanorum facies est, cùm *utriusq. Siciliæ* (cis & trans Pharum sitæ) Regnum, ob *Arragonios*

nios moderatores, Andinis ſuffectos, parmulâ oblique dextrorſum & ſiniſtrorſum ſectâ notetur, cujus ſummum & imum aureum quatuor pali miniati, latera verò argentea duæ aquilæ nigræ occupant.

Antiqvum igitur iſtud Neapolitanum δεῖγμα, Andina nempe lilia, *Ludovicum* Hungariæ Regem nummo ſuo impreſſiſſe, mirum non eſt. Nam, præter eam, quam ſuprà memoravimus, Regni Neap. occupationem, idem quoque naſcendi jure jam ad ipſum pertinuit, cùm *Carolus* ille Andinus, de quo diximus, *Caroli Martelli* pater, & *Caroli Roberti* avus, adeòque *Ludovici* noſtri proavus, extiterit; cujus ſoboles, ob uxorem ejus *Mariam, Stephani V.* Hungar. R. filiam, an. MCCLXXVII. ductam, Hungarico diademate exornari meruit. Origini huic notandæ etiam *Ludovicus* priori numiſmatis ſui lateri (quod *S. Ladislaum* exhibet) quinque *lilia* inſcripſit; in ipſo autem clypeo liliatò non expreſſit diſcerniculum illud, quod aliàs veteri Ducum Andinorum teſſeræ addi ſolet, faſciolam ſcilicet, ſeu (ut Feciales loqui amant) *Lambellam* trium aut quinque ſegmentorum, quæ hodie adhuc in Neapolitano *Lotharingicorum* inſignium laterculo conſpicitur.

Quod

Quod reliqvum est, *Ludovicus* noster bis uxorem duxit. Prior fuit *Margareta*, Imp. *Caroli IV.* filia, quæ improlis obiit, posterior *Elisabeta*, *Stephani* Banni Bossenensis gnata, ex quâ (præter sobolem maturè mortuam) filjas binas Regnorum heredes, *Mariam* scilicet & *Hedvvigen*, súscepit: quarum altera *Sigismundo* Brandenburgico, postea Imperatori & (per eam) Hungariæ Regi; altera verò *Jagelloni*, Lithuaniæ Duci, nupsit, eique Poloniæ regnum (â morte *Casimiri* R. ipsius affini *Ludovico* oblatum) attulit. Ipse demum *Ludovicus* an. MCCCLXXXII. vitam cum morte commutavit, & Albæ Reg. in basilica D. Stephani sepultus est.

II.

SIGISMVNDVS.

S. LADISLAVS. REX. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo.*

SIGISMVNDI. D. G. R. VNGARIE. *Insignia Hungarico-Bohemica.*

LUdovico fatis functo in Regno Hungariæ successit MARIA, major natu filia, desponsata SIGISMVNDO, *Caroli IV.* Imperatoris Bohemiæque Regis (ex *Elisabetâ* Pomeranâ) filio,

an. MCCCLXVIII. nato, & â quinto ætatis anno Brandenburgico Marchioni. Hæc, ſponſo adhuc minorenni ab Hungaris coronata, (*Bonfinio* aliisque teſtibus) ſe non tàm Reginam quàm Regem geſſit, imo monetam cum epigraphe: MARIA REX HVNGARIAE, ſignâſſe dicitur. (vid. *Bernh.* Zechen Durchl. Regenten-Saal/ pag. 460.) Sed, quoniam Palatinus Regni, *Nicolaus de Gara*, auctoritate nimia, qua apud Reginam ejusque matrem polluit, abuſus, Optimates aſperè tractavit, hi muliebris imperii pertæſi, CAROLVM *parvum*, Regem Neapolitanum, *Ludovici* ex fratre nepotem, in Hungariam evocârunt, eundemque an. MCCCLXXXIV. diademate ornârunt regio. Attamen is paullò poſt, Reginæ matris inſtinctu, in arce Budenſi â *Blaſio Forgatsch* lethali plagâ cæſus & in carcerem conjectus fuit, ubi vel ex vulnere, vel veneno immiſſo, animam exhalavit. Hinc ſola denuò regnavit *Maria*, quam licet *Johannes de Horvath*, Croatiæ Bannus, in itinere captam (matre ipſius *Eliſabeta* flumine ſuffocatâ) in vinculis habuerit, mox tamen, *Sigiſmundo* ejus ſponſo adveniente, fuit dimiſſa; qui illam an. MCCCLXXXVI. duxit, ſimulque ſolenni ritu corônatus Hungariæ Regnum adiit.

Hôc

Hôc pacto igitur SIGISMVNDVS Hungariam adeptus, per LII. annos ei præfuit, & quidem variâ admodum sorte, cùm nec victoriosis Turcarum armis par fuerit, nec apud desciscentes subditos semestrem horridi carceris sqvalorem potuerit evitare. Eluctatus autem tot molestiis, an. MCCCCXI. post obitum *Jodoci*, Marchionis Moraviæ, *Romani Imperatoris* dignitatem obtinuit, nec non degeneri fratri *Wenceslao*, an. MCCCCXVIII. mortuo, in Regno *Bohemiæ* successit.

Combinatorum ità per *Sigismundum* nostrum *Hungariæ Bohemiæq;* regnorum memoriam præsens nummus conservat, utpote cujus averso latere Insignia ex utriusque regni symbolis quadripartita occurrunt. Nam tænias primi ultimique laterculi *Hungariam* denotare, suprà vidimus: Secundi autem tertiive quadrantis Leo coronatus, ac bifurcatâ caudâ conspicuus (*à double queüe, passée en sautoir*) *Bohemiam* designat; cujus scutariæ tesseræ origo ad *Vladislaum II.* referri solet, quem *Fridericus I.* Imp. (ob præstitam sibi in expeditione Mediolanensi operam) in Comitijs Ratisbonensibus titulo *Regis* Bohemiæ ornavit, simulque insignium loco Leonem ipsi contulit. An autem veritati congruum sit, quod vul-

gò additur, Bohemos ſcilicet Leonem, caudâ inter crura abſconsâ pictum, ſimiam arbitratos atque averſatos eſſe, ideòque Imperatorem ſanxiſſe, ut inpoſterum cauda Leonis hujus fingeretur duplicata ſive gemina, alii viderint. De imagine *S. Ladislai*, altero nummi noſtri latere expreſsâ, dicere non attinet; *Siglas* verò V. & K. eidem additas me ignorare lubens fateor, niſi quod locum aliquem monetalem (ubi nummus fortè cuſus) indicare ſuſpicer, uti poſtea ex literis N. B. & K. B. ſimili ſitu in aureis hisce aliisque Regum Hungariæ nummis frequenter occurrentibus, patebit. An autem *Vacia*, vel *Varadinum*, aut alius regni hujus locus iis denotetur, non auſim determinare.

Quod reliqvum eſt, *Sigismundus* noſter an. MCCCCXXXVII. die IX. Decemb. Znoimi in Moravia deceſſit, ex ſecundâ conjuge, *Barbarâ, Hermanni* Comitis Cilejenſis filiâ, (incontinenti admodùm fœminâ) unicam ſaltem filiam, *Eliſabetam*, relinquens, quæ *Alberto* Auſtriaco nupſit, eique procerum conſenſu paterna regna attulit.

III.

ALBERTVS.

S. LADISLAVS. REX. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo.*

AL-

ALBERTVS. D. G. R. VNGARIE.

Insignia Hungarico-Bohemica.

RAriſſimum hunc nummum aureum, qvem in plurimis, iisque aliàs inſtructiſſimis, gazophylaciis fruſtrà quæſiveris, ALBERTVS *Auſtriacus*, præcedentis *Sigismundi* gener, ſignari curavit. Habuit is patrem cognominem, Archiducem Auſtriæ, matrem verò *Johannam*, Bavariæ Principem; qvibus parentibus circa finem ſæculi XIV. in hanc lucem fuit editus. *Eliſabetam*, *Sigismundi* Imp. nec non Hungariæ Bohemiæqve Regis filiam, eo adhuc vivo an. MCCCCXXII. duxit, â moribundo autem utriusqve regni proceribus tanto pondere fuit commendatus ut illum non inviti Regem ſalutaverint. Factum id an. MCCCCXXXVIII. & qvidem ab *Hungaris*, ipſis Januarii calendis, â *Bohemis* verò ſeqventi Majo menſe. Nec obſtitit adverſa *Henrici Ptarsconis*, *Alscionis Sternbergii*, aliorumqve malevolorum Bohemorum factio, qvâ *Caſimiro*, Poloniæ Principi, Regisqve *Vladislai* fratri, *Bohemia* regnum oblatum fuit; *Albertus* enim, armatâ manu Bohemiam ingreſſus, procellam iſtam facilè diſcuſſit, & Pragæ die XXIX. Junii (qvæ SS. Petro ac Paulo Apoſtolis ſacra eſt) diadema regium obtinuit. Vtriusqve igitur regni,

tàm *Bohemici*, qvâm *Hungarici*, insignia, eôdem qvadripartito situ, qvo sese præcedenti nummo nobis obtulerunt, præsenti etiam aureo (alterâ facie solennem *S. Ladislai* effigiem, siglasqve monetales K, L. exhibenti) meritò impressa sunt.

Interim verò istis, qvos diximus, *Alberti* honoribus adhuc major dignitas accessit. Eôdem enim an. MCCCCXXXVIII. d. XX. Martii, in defuncti soceri *Sigismundi* locum, unanimi procerum consensu *Imperator* fuit electus, adeòqve raro admodùm exemplo intra semestre spatium tres coronas, easqve Christiano orbe celeberrimas, adeptus est. Sed ô vitream fragilemqve dum maximè splendet Fortunam! Optimus hic Princeps, productiori vitâ dignus, maturè nimis tot tantisqve ornamentis excidit. Nam, seqventi anno MCCCCXXXIX. cùm turbis Bohemico-Polonicis feliciter compositis, adversus *Amurathem*, Turcarum tyrannum, Hungariæ infestum, aciem instrueret, castrensi dysenteriæ morbo correptus, nec non intempestivo peponum sive melonum esu langvidior, in pago Nesmel sive Langendorf, ætatis anno qvadragesimo qvinto, imperii & regnorum secundo, obiit. Vxorem autem reliqvit gravidam, ex qva jam antea (præter *Georgium* βραχύβιον) filias binas, *Annam* scilicet, *Wilhelmo*

helmo Saxoniæ Duci, & *Elisabetam*, *Casimiro* Poloniæ Regi nuptam, susceperat.

IV.

VLADISLAVS.

S. LADISLAVS. REX. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo; additisqve literis* H. G.

WLADISLAVS. D. G. R. VNGARIE. *Insignia Hungarico-Polonica.*

PRæcedens eqvidem *Albertus* Austriacus, fato suo functus, viduam *Elisabetam* uterum ferentem reliqvit, adeoqve subditis spem fecit, fore, ut ex illa ipsis Rex sibique successor nasceretur. At incertum hunc regii partûs exitum (Reginâ ipsâ augurante, se puellam edituram) Hungari noluerunt præstolari, sed potius VLADISLAVM, Poloniæ Regem, *Jagellonis* (in baptismo *Vladislai* dicti) ex *Sophia* Kijoviensi filium, an. MCCCCXXIII. natum, & patri anno MCCCCXXXIV. mortuo in amplissimo Sarmatiæ regno suffectum, sibi dominum elegerunt, eumqve missis legatis sollicitârunt, ut qvantocyus in Hungariam adventans, regni diadema & insignia capesseret.

Interea peperit Regina puerum, qvi *Ladis-*

laus

laus appellatus eſt, eundemqve (Legatis, qvi ad evocandum *Vladislaum* in Poloniam profecti erant, neqvicqvam revocatis) vix qvadrimeſtrem Albæ coronari fecit; imò ſanctam inſuper Hungarorum Coronam, quam cœlò miſſam perhibent, muliebri aſtu ſurreptam, unà cum puero ſecum, primò Poſonium, deinde verò in Auſtriam deduxit ad *Fridericum III.* Imp. cujus tutelam imploravit & præſidium.

Dum hæc geruntur, *Vladislaus*, audito de herede regni nuncio parum aut nihil commotus, ſed potius oblatos ſibi honores utrâqve manu amplectens, magnis itineribus in Hungariam properavit, Albamqve Regalem an. MCCCCXL. ingreſſus, ob defectum Coronæ, ad inaugurationem Regum aliàs adhiberi ſolitæ, diademate aureo, ſtatuæ *S. Stephani* Hung. R. (vel ipſius cranio) detracto, coronatus eſt.

Præſentem igitur nummum noſtrum hic *Vladislaus*, ut Rex Hungariæ, ſignari curavit, eidemqve præter *S. Ladislaum* Regem, ignotis nobis ſiglis H. B. ſtipatum, Inſignia *Hungarico-Polonica* impreſſit. Qvadripartitus enim averſæ partis clypeus laterculo primo tænias *Hungaricas* complectitur; ſecundum implet Aqvila *Polonica*;

cujus originem vulgò inde arcessunt, quòd *Lechus*, gentis conditor, cùm exstrueret Gnesnam (Principis olim, nunc primarii Antistitis sedem) nidum aquilarum candidarum repererit, haut vulgare candidæ sortis, futurique florentissimi imperii augurium. Quâ de re ὁ πάνυ *Spenerus*, Op. Herald. pt. II. c. XXX. p. 689. alijque scriptores possunt consuli. Laterculum tertium occupat eqves cataphractus *Lithuaniæ*, cujus magni Ducatûs rector *Jagello* (*Olgirdi* filius) ac *Vladislai* nostri pater Christianã fidem an. MCCCLXXXVI. amplexus, & in sacro regenerationis lavacro *Vladislaus* dictus, ductâ *Hedvvige*; *Ludovici* M. Hungariæ Poloniæqve Regis filiâ, eundem coronæ Polonicæ annexuit, quâcum in hunc usqve diem firmiter conjunctus est. Quartô deniqve laterculo Crux duplex sive Patriarchalis exhibetur, qvæ iterum ad *Hungariam* spectat, Regique *Stephano* circa annum M. ob strenuè navatam in religionis Christianæ propagatione operam, â Romano pontifice donata dicitur. Meretur autem singularis in hoc nummo crucis istius forma notari, qvæ itâ comparata est, ut scuti marginem non attingat, (*croix alaisée* feciales Galli appellant;) cùm sæculis seqventibus Hungariæ Reges eandem crucem è corona erumpentem, colliculoqve triplici insistentem, finxerint.

Cæterùm *Vladislaus* hic brevi admodum tempore, & vix qvadriennio, rerum Hungaricarum potitus est. Nam, licet fortissimi herois, *Johannis Hunniadis*, (de qvo nobis mox amplior dicendi occasio nascetur) incomparabili virtute suffultus, infensissimos Christiani nominis & imprimis vicinæ Hungariæ hostes, Turcas, aliqvoties superaverit, nec non *Amurathem* ipsorum Imperatorem eo adegerit, ut pacem petere coactus, ejusqve leges sibi dare passus sit. Pontificis tamen Romani *Eugenii* consiliis, subornatique ab ipso *Juliani* Cardinalis persuasu, *Vladislaus* magno suo malo datam *Amurathi* fidem temere fregit, eumque tale nihil opinantem denuò bello petiit. Ad Varnam itaqve, Ponti Euxini urbem, (qvæ veterum Dionysiopolis est) manibus armisqve consertis, victoria primo quidem Hungaris favere visa est; At, postquam *Amurathes* fœderis â *Vladislao* rupti tabulas, non sine seria vindictæ, â Christo, si verus Deus esset, fœdifragis nominis sui cultoribus (imò contemptoribus) immittendæ postulatione, produxit; versâ belli aliâ Christiani gravissimam cladem passi sunt, ac ipse *Vladislaus* Rex, paullò incautiùs in hostes irruens, occubuit: cujus amputatum caput, hastæ infixum, per omnem Asiam Græciamque, tropæi loco, ut luculentum victoriæ (quamvis non incruen-

tæ)

tæ) signum, circumlatum est. Factum hoc an. MCCCCXLIV. pridie festi S. Martini, notissimisqve versibus(qvos apud *Petrum de Revva,* Monarch. Hung. Cent. V. aliosque legas) ab occumbente qvasi *Vladislao* prolatis, celebratum est:

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi:
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannoniæ ora jugum.

V.

JOHANNES Hunniades.

S. LADISLAVS, REX. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo, &c.*
IOHANES. D. H. W. R. VNGARIE. GV. *Insignia Hungarico-gentilitia.*

REgio licet nomine caruerit, ob regiam tamen potestatem,& virtutes regias, Hungariæ Regibus annumerandus venit IOHANnES De *Huniad, Wladislai Regis* VNGARIaE *GVbernator*, qvi præsentem nummum signari curavit. Fuit is *Buthonis* cujusdam, nobilis Valachi, filius; qvem ex *Elisabeta Palæologa,* Byzantinorum Imperatorum stemmate prognata,

 genuit;

genuit; qvamvis non desint, qvi dicant, ipsum *Sigismundi* Imp. filium nothum, vel (ut honestiùs solet efferri) naturalem fuisse, è virgine nobili in confiniis Hungariæ Transsylvaniæqve genitum: qvod aliqvam veri speciem habere putat *Sigismundus à* Bircken/ libro, qvem vocat Oesterr. Ehren-Spiegel/ l. V. c. X. p. 628. cùm *Johannes* noster in his oris arcem *Hunniad*, inter Claudiopolin & Varadinum sitam, (unde ipsi posterisque *Hunniadum* cognomen adhæsit) exstruxerit & inhabitaverit. Aliàs etiam *Corvinus* dici solet, cujus agnominis originem scriptores eò referunt, qvod majores ipsius, ex antiqvis Gothis orti, cum vetustissima Romana gente *Corvinorum* (qvæ vicinæ *Croatiæ* nomen *Corvatiæ* dedisse dicitur) matrimoniis juncti fuerint. Qvidqvid hujus rei sit, *Corvinum* nomen adhuc insignia *Hunniadis* loqvuntur, quæ cùm avem genti isti cognominem, *corvum* scilicet, exhibeant, ad illud tesserarum gentilitiarum genus pertinent, quas Galli *armes parlantes*, h. e. insignia æqvivoca vel paronomastica appellant.

Evidens hoc est in aureo nostro, quem proponimus. Nam istius quadripartiti scuti prima & quarta areola tænias *Hungaricas*, nec non secunda crucem ejusdem Regni Patriarchalem continet;

in

in tertio autem quadrante *Corvus* occurrit, qui annulum roſtro tenet, & *Corvinorum Hunniadum* δεῖγμα gentilitium eſt. Corvo enim iſthoc annuligero in ſequentis *Matthiæ Corvini*, Hung. Regis, hujusque *Johannis* filij, nummis nihil freqventius; quos etiam inde vulgò *Ducatos corvinos*, Raben-Ducaten/ vocare ſolent. Et licet ſint, qui putent, *Matthiam* primùm ſcutariam illam tesseram aſſumſiſſe, in memoriam Corvi cujusdam, qui matri ſuæ annulum pronubum furatus ſit, ſed mox eundem, adſtantium telis petitus, reſtituerit; (quod etiam haud ità pridem *Julius Pflugius*, in Epiſtola ad Ill. *Seckendorff.* de Bibliotheca Budenſi, ſibi perſvadere paſſus eſt;) vel ipſo tamen nummò noſtro commentum hoc exploditur, cùm ex eo pateat, jam ante *Matthiam*, ipſius patrem *Johannem* gentilitio iſthôc Symbulo, ad *Corvinorum* agnomen alludente uſum eſſe.

Quod reliqvum eſt & præcipuum, *Johannes* hic duorum Hungariæ Regum, *Vladislai* ſcilicet, (de quo antea diximus) & *Ladislai*, (de quo mox dicturi ſumus) Gubernator ſive pro-Rex, & ſupremus belli Dux fuit adverſus Turcas, quos tanta animi virtute eſt aggreſſus, ut (præter varias leviores velitationes) ſeptem inſignes victorias ab ijs reportaverit.

Neque defuit justum tantæ fidelitati præmium, cùm *Ladislaus* fortissimum hunc Libertatis Pannonicæ vindicem Comitatu *Bistritiensi* in Transsylvania sit muneratus. Tandem morbo correptus, Semlini an. MCCCCLVI. eô ipso tempore, quo sacro morientium Christianorum viatico instructus fuit, obijt; ex *Elisabeta Gherebia* binos filios, *Ladislaum* & *Matthiam*, relinquens, nec non filiam unicam *Beatricem*, quæ primùm *Bernhardo*, Comiti Frangipanio & Madrucio, deinde verò *Georgio*, Marchioni Brandenburgico-Onoldino, elocata est.

VI.

LADISLAVS.

S. LADISLAVS. REX. *Effigies S. Ladislai cum bipenni & globo.* K. G.

LADISLAVS. D. G. R. VNGARIE. *Insignia Hungarico-Bohemica, &c.*

LADISLAVS hic fuit posthumus ille *Alberti* Austriaci imperatoris, Hungariæque & Bohemiæ Regis, (ex *Elisabeta*) filius, cujus supra mentionem fecimus. Is *Vladislao* mortuo, paterna regna tandem conseqvutus est; Sed quoniam

niam nondum adultus fuit, *Bohemiam* (cujus imperium *Albertus* Bavariæ Dux rarâ animi magnitudine recusaverat) *Georgius Podiebradius*, *Hungariam* verò *Johannes Hunniades* ipsius nomine administravit. Anno tamen MCCCCLII. cùm duodecennis esset, tutelâ *Friderici* Imp. egressus, ipse imperii habenas arripuit; quas satis laudabiliter moderaturus fuisset, nisi lubricâ istâ juvenili ætate, improbis quorundam malè feriatorum hominum (imprimis *Vlrici* Cilejensis Comitis, aliorumque) consiliis plus æquo obtemperasset. Insignem quoque ipsius famæ maculam adspersit iniqvum *Ladislai Corvini* (præcedentis *Johannis* filii) supplicium, quem maximorum fortissimi parentis meritorum immemor, ob perditissimi (quem diximus) *Vlrici* Cilejensis cædem, contra fidem toties datam capite plecti jussit. At talia juventutis παροράματα forsan succedente maturiori ætate emendasset *Ladislaus* noster. Verùm id nimis præcocia Principis hujus fata non permiserunt. Is enim an. MCCCCLVII. Pragæ Bohemorum, ubi sponsam suam *Magdalenam Caroli* VII. Galliæ Regis filiam, præstolabatur, ut illam regio Thalamo exciperet, improviso corporis langvore correptus, duodevigesimo ætatis anno vivis excessit; non sine veneni suspicione, quod à fœmina, pomum

mum venenato cultro diſſectum ipſi porrigente, profectum eſſe dicitur.

Jam quod ad nummum noſtrum attinet, prior ſive adverſa illius pars, *S. Ladislai* effigiem præferens, exceptis ſiglis monetalibus K. G. (quæ ſibi Oedipum aliquem ex Hungaria poſtulant) â præcedentibus aureis nihil differt. Abludunt autem ab ijs averſi lateris inſignia. Nam, licet primus eorum quadrans ſolenni more tænias *Hungaricas*, ſecundus verò Leonem *Bohemicum*, duplici caudâ ſatis notabilem, comprehendat; Tertio tamen laterculo occurrit faſcia Archiducatus *Auſtriæ*, luculentum virtutis bellicæ *Leopoldi* VII. Ducis monumentum, quem alibi, ob reportatam in expugnatione Ptolemaidis veſtem planè cruentam, quæ prius candida fuerat, eâ ſolùm parte excepta, quam militaris baltheus contexerat, Symbolo huic gentilitio originem dediſſe, memoravimus. Ultimum denique Clypei quadrantem Aquila implet, dubio procul ad *Sileſiam* (Regno Bohemiæ ſubditam) referenda, cujus incolæ *Ladislao* Regi, an. MCCCCLIV. Vratislaviæ præſenti, ſolenni ritu homagium præſtiterunt.

VII.

VII.

MATTHIAS I.

S. LADISLAVS. REX. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo, &c.*

MATHIAS. D. G. R. VNGARIE. *Insignia.*

E Carcere ad Regnum pervenit, mirâque fatorum vicissitudine compedes & vincula cum corona & sceptro commutavit hic MATTHIAS *Corvinus*, natu minor *Johannis Hunniadis*, celeberrimi illius Hungariæ Pro-Regis, filius. Nam, ex quo frater ipsius *Ladislaus*, ob perpetratam *Vlrici* Cilejensis cædem, capite mulctatus est, etiam *Matthias* hic, unà cum aliis Hungariæ proceribus, facinoris istius consciis, fuit captus & custodiæ traditus. Imò *Ladislaus* Rex illum eo tempore, quo Pragæ in solenni nuptiarum apparatu obiit, ex Austria in Bohemiam deferri curavit; vel certe *Georgius Podiebradius*, Prorex & *Ladislai* in hôc regno successor, id fecit, qui ad istam captivi juvenis translationem imperandam, annulo signatorio, mortui Regis digito detracto, abusus esse dicitur. At paullò post *Matthias* ille decimo septimo ætatis anno Rex *Hungariæ* electus fuit, cujus novæ dignitatis libertatisque nuncium *Georgius Podie-*

bradius ipsi lætus impertivit, ac simul filiam suam *Catharinam* sponsam obtulit. Hâc igitur ductâ, & dotis loco magna pecuniæ vi, quam mater ejus, *Johannis Hunniadis* vidua, ut lytrum filii Bohemiæ Regi promiserat, retentâ, *Matthias* noster Hungariæ regnum adiit, quanquam (ob diadema regium prius à *Friderico* Imp. redimendum) non nisi post qvinqvennium, anno scilicet MCCCCLXIII. coronatus fuerit.

Magnâ autem fortitudinis, humanitatis, magnificentiæ, ac aliarum Principe dignissimarum virtutum laude *Corvinus* hic Pannoniæ regnum administravit, variis contra Turcas expeditionibus susceptis, bellisque adversus vicinos Austriæ ac Bohemiæ rectores gestis, celebris; uti nobilis Poëtæ, *T. Alexandri Cortesii de Matthiæ Corvini* laudibus bellicis Carmen pluribus testatur. Sed & literas amavit, & literatos fovit, ideoque Budæ egregiam ac sumptuosissimam *Bibliothecam* instruxit, quam unà cum cœtero aulæ cultu prolixè describit αὐτόπτης testis, *Antonius Bonfinius*, Rer. Vngar. Dec. IV. Lib. VII. De reliquiis autem celeberrimæ hujus Bibliothecæ, â Turcis in expugnatione Budæ direptæ, consulenda peculiaris (nobisque supra memorata) *Julii Pflugii* ad Ill. *Seckendorffium* Epistola, fata Bibliothecæ Budensis, ac librorum in

ultima

ultima expugnatione repertorum Catalogum exhibens, quæ an. MDCLXXXVIII. Jenæ prodiit. Quibus interim volupe est, ornatum librorum istius Bibliothecæ noscere, unum alterumve illius specimen, æri incisum, in eximiis *Petri Lambecii* de Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Commentariis videre poterunt.

Ad ista verò literarum, vitæque cultioris studia, haud parum contulit *Beatrix* altera *Matthiæ* uxor, *Ferdinandi* Regis Neapolitani filia, quam eruditam, splendidam, & omnium elegantiarum amantissimam principem, *Corvinus* noster, post obitum prioris conjugis *Catharinæ* Bohemicæ, an. MCCCCLXXVI. secundis nuptiis sibi copulavit, tantique fecit, ut (illo ipso, quem antea laudavimus, *Bonfinio* teste) amatæ hujus uxoris svasu vivendi mores planè immutaverit. Interim tamen ex neutro conjugio liberos suscepit; sed filium nôthum habuit, *Johannem Corvinum*, quem valdè dilexit, & probè educatum, multis in Hungaria prædiis ditavit. Apoplexiâ tandem, eâque satis asperâ, *Matthias* hic Viennæ obiit, an. MCCCCXC. ætatis septimo post quadragesimum, Danubioque flumine in Pannoniam delatus, Albæ non sine magno suorum luctu sepultus est.

Reſtat, ut de nummo hujus Regis dicamus. Is ſolito quidem more ornatam *S. Ladislai* R. effigiem præfert; ſed illa præter monetalem ſiglam N. dextro lateri additam, ad ſiniſtram adhuc peculiari clypeo ſtipata eſt, cui *rotam* ſeptem radiorum inſcriptam videas. Quorſum hoc ſpectet Symbolum, (quale in Germania noſtra Elector *Moguntinus*, Epiſcopus *Osnabrugenſis*, civitas *Erffurtenſis*, aliique Imperii ſtatus gerunt) me latere, lubens fateor. Loci tamen cujusdam Hungariæ notam eſſe ſuſpicor, ubi nummus fortè ſignatus eſt. Unde etiam præcedenti *Johannis Hunniadis* (*Matthiæ* hujus parentis) aureo ſcutulum tale impreſſum cernas, transverſim ſectum, binisque (ni fallor) *catenulis*, diagonali ſitu ſibi invicem impoſitis, oneratum. (*Coupè, de .... à deux chaines de ..., miſes en ſautoir.*)

Adverſæ partis majora inſignia, quadripartita ſunt, primusque & ſecundus laterculus δείγματα *Hungariæ*, tænias ſcilicet & crucem patriarchalem, complectitur. Succedit laterculo tertio Corvus cum annulo, ſuprà memoratum *Corvinæ* gentis Symbolum: Qualem aviculam etiam quandoque ſolam, in aliis *Matthiæ* hujus nummis aureis, imagini *S. Mariæ* ſubſtare videas, unde iidem vulgò, ceu dixi-

diximus *Corvinorum Ducatorum* (Raben-Ducaten) nomen obtinent. Nec omittenda singularis muliercularum Hungaricarum superstitio, quâ nummos tales, corvo signatos, præsentissimum in difficili partu remedium esse putant, adeoque fœminis, cùm ægriùs enituntur, ejusmodi aureum applicant, & popliti alligant; qua de re *Gvil. Ern. Tenzelii* Colloquia menstr. an. MDCLXXXIX. mense Ian. aliique libri consulendi sunt. Quid autem sibi vult *Leo* iste, qui ultimo clypei nostri laterculo inscriptus est? *Bohemiæ* tesseram, forte dices, cujus regimen an. MCCCCLXIX. vivo adhuc *Georgio*, â proceribus nonnullis, Hussitarum factioni adversis, *Matthiæ* Regi oblatum fuit. Sed obstat Leonis hujus collocatio; qui, si amplissimum Bohemiæ regnum denotaret, non in extremum parmulæ locum reiiciendus, nec Symbolo gentilitio Corvinorum postponendus fuisset. Deinde etiam situs repugnat: Nam Leo Bohemicus vulgò corpore erecto & posterioribus pedibus insistens (Gallis *rampant*) exhiberi solet; Hic noster autem planè resupinus, & veluti diagonali situ (*en barre*) positus conspicitur. Accedit, quod *Johannes de Zapolia* in Hungaricis nummis suis eôdem σύγματι usus fuerit, cui tamen nihil unquam juris in Bohemiam fuisse, exploratæ veritatis est. Alia igitur leoni isti patria quærenda erit,

Bosnia scilicet, Croatiæ Dalmatiæque vicinia provincia, quam *Matthias* noster an. MCCCCLXIII. Turcis eripuit, eosque anno sequenti Jaizam, regionis metropolin, repetituros, solâ adventus sui famâ adeò terruit, ut obsidione subitò solutâ, præcipiti fugâ sibi consuluerint.

VIII.

VLADISLAVS II.

S. LADISLAVS. REX. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo, &c.*

WLADISLAVS. R. VNGARIE. *S. Maria* τεκνοφόρος, *solio insidens.*

MAtthia mortuo, Hungariæ regnum varii ambierunt proci; sed illud tandem VLADISLAVS, Rex Bohemiæ, (qui *Georgio Podiebradio* an. MCCCCLXXI. successerat) obtinuit. Fuit hic *Casimiri*, Poloniæ Regis, filius, ex *Elisabeta* Austriaca (*Alberti* Imperatoris, Bohemiæque & Hungariæ Regis, filia) an. MCCCCLVI. natus, Princeps admodum mitis & placidus; qui si fuisset paullò bellicosior, non licuisset Turcis, ipso imperante tam impunè in Hungaria grassari, quamvis tamen non negandum, iis unum alterumve generosum

rosum belli ducem plus vice simplici fuisse oppositum. Nuptias hujus Regis, adhuc cœlibis, quæsivit equidem *Beatrix* Neapolitana, decessoris ipsius *Matthiæ Corvini* vidua, sed non impetravit; causante partim *Vladislao*, sibi ut Bohemiæ Regi certâ lege interdictum esse, viduam ducere; partim verò Hungaros suos Reginam postulare (quæ principis successoris ex eâ nascendi spem ipsis faceret. Ad alias itaque nuptias animum adjecit *Vladislaus*, sibique an. MDII. uxorem Gallicam, *Annam* Foxian (*de Foix*) filiam *Johannis Gastonis*, Comitis Candaliæ, â clarissimis Navarræ Regibus genus ducentem, copulavit; ex qva præter *Ludovicum* successorem, de qvo mox dicendum erit, an. MDIII. filiam matri cognominem genuit, qvæ *Ferdinando* Austriaco (*Philippi* I. Hisp. R. filio, & *Maximiliani* I. Imp. nepoti) fuit elocata, ideòque maximè hôc loco notanda venit, qvod amplissima *Hungariæ Bohemiæque* regna per eam denuò ad illustrissimam gentem Austriacam (qvæ ipsis hodieque imperat) pervenerint. Tandem *Vladislaus* hic an. MDXVI. sexagenarius Budæ obiit, & Albæ juxta cœteros Pannoniæ Reges fuit conditus.

In nummo ipsius aureo, qvem exhibemus, post effigiem *S. Ladislai*, & obscuriora signa menotalia,

lia, novus aversi lateris typus observari meretur, *S. Maria* νικοφόρος scilicet, tutelaris illa Hungariæ Diva, quā variis hujus regni nummis impressā videas. Nam, præter aureos, etiam argentei unciales extant, eandem imaginem præferentes, cum perigraphe: S. IMMACVLATA VIR*go* MAR*ia* MAT*er* DEI PAT*rona* HVNGA*riæ*; ceu in Sylloge nostra (Imperatorum unciales exhibente) p. 143. videre est. Sed & notari debet ***aquila***, expansis alis sub effigie θεοτόκου virginis conspicua; hæc enim gentilitia *Vladislai* tessera est, & *Poloniam* Regis hujus patriam designat.

IX.

LVDOVICVS II.

S. LADISLAVS. REX. 1519. *Effigies S. Ladislai armati, cum bipenni & globo.* K. G.

LVDOVICVS. D. G. R. VNGARIE. *S. Maria* νικοφόρος.

VLadislao è vivis sublato in utroque Hungariæ Bohemiæque regno successit LVDOVICVS filius, an. MDVI. ex *Anna* Foxia, Candaliæ Comite, susceptus; de qvo *Joannes Sambucus* in Appendice Rerum Hungarica-

ricarum (*Bonfinii* Decadibus subnexâ) observat, patrem ipsi *Julii* nomen destinâsse, sed à Gallica matre (puerperio isto mortuâ) *Ludovici* appellationem substitutam fuisse. *Immaturus* aliàs hic Princeps vulgò audit; nec immerito, cùm omnia ejus fata immatura fuerint. Immaturo enim in hanc lucem fuit editus, adeoque verè *ante DIèM natVs*, cùm sine extrema cute, quam ἐπιδερμίδα vocant, matris alvo egressus sit, ac proinde Medicorum ope, ad conciliandam arte & inunctionibus cuticulam, eguerit. Ninus etiam immaturè Regia dignitas ipsi fuit collata, cùm patre adhuc vivo bimulus trimulusve Pannoniæ Bohemiæque diadema obtinuerit, & vix decennis ei mortuo in utroque regno fuerit suffectus. Immaturum quoque fuit Regis hujus matrimonium, decimo quinto ætatis anno cum *Maria* Austriaca (*Philippi* I. Hisp. R. filiâ, & *Maximiliani* I. Imp. nepte) initum; cujus leges pater ipsius *Vladislaus*, an. MDXIV. Viennæ præsens, unà cum *Maximiliano* Imp. reciproco isthôc fœdere sanciverat, ut quemadmodum *Ludovicus Mariam* esset ducturus, ità alter nepotum *Maximiliani*, *Ferdinandus* scilicet aut *Carolus*, filiæ *Vladislai*, *Anna*, jungeretur. Quâ de re meretur legi *Joannis Cuspiniani* Diarium de con-

gressu Cæsaris *Maximiliani* & trium Regum,&c. quod annexum est operi ejus de Cæsaribus, p. 496. sqq. nec non ipse Contractus matrimonialis, quem supra laudatus *Joannes Sambucus* Appendici suæ Rerum Hungar. p. 738. inseruit. At immaturus tandem maxime fuit Regis istius ex hac vita exitus. Dum enim an. MDXXVI. contra *Solymannum*, Turcarum Imperatorem, Hungariæ infestum, aciem instruxit, manusque cum eodem ad oppidū Mohacz conseruit, non tantum victus & fugatus fuit Hungarorum exercitus, sed ipse etiam *Ludovicus* Rex, vitæ suæ consulturus, in lacu quodam, ex Danubii stagnatione orto, infausto equi lapsu suffocatus, vigesimo primo ætatis anno misere periit. Cujus tragici casus historiam nemo accuratius consignavit *Stephano Broderitho* (sive, ut se ipsum vocat, *Broderico*) Regis hujus Cancellario, qui infelici isti expeditioni interfuit, eamque summa fide & industria descripsit, ut ex relatione ipsius, Wechelianæ *Bonfinii* editioni p. 757. additâ, perspicuum est.

Quod nummum *Ludovici* hujus concernit, quem Tabula nostra exhibet, is *S. Ladislaum* paullò aliter effictum refert, ac præcedentes aurei. Totus enim quantus *loricatus* est, literisque K. G. (loci monetalis procul dubio indiciis) stipatus; licet

solita

solita utriusque manûs gestamina, bipennis scilicet & globus cruce signatus, non deficiant. Aversi quoque lateris Diva, ad superioris nummi modum infantem θεάνθρωπον sinu gerens, *Lunam* crescentem sub pedibus habet; quâ formâ vulgò aliquot abhinc seculis *B. Mariam* pingere aut sculpere solenne fuit, cúm de hac matre virgine majores nostri acceperint, quod sacris literis de Muliere Sole amictâ, & Lunam pedibus calcante, Apoc. XII, I. proditum est. Sub istâ autem Hungariæ Patronâ denuò *Aquila* conspicitur, luculentum *Polonicæ* stirpis, qua *Ludovicus* noster fuit editus, indicium.

X.

FERDINANDVS I.

S. LADISLAVS. REX. 1562. *Effigies S. Ladislai armati &c.* K. B.

FER. D. G. EL. RO. IM. S. AV. GE. HV. BO. R. *S. Maria* τεκνόφορος.

FERdinandus hic (tàm inter Hungariæ Reges, quàm Romani Imperii moderatores, nominis istius *primus*) Austriaci sanguinis Princeps, patre *Philippo*, Imperatoris *Maximiliani I.*

 filio.

filio, matre verò *Joanna*, *Ferdinandi* Catholici, Hispaniarum Regis, filiâ, an. MDIII. Compluti natus, varios eosque Christiano orbe maximos honorum gradus adiit. Ductâ enim an. MDXXI. *Anna*, *Vladislai* II. Hungariæ Bohemiæque Regis filiâ, ac *Ludovici* præcedentis sorore, affini huic, an. MDXXVI. ad Mohacz cæso, in utroque regno successit. Et licet in Hungaria *Joannem de Zapolia*, Scepusiensem Comitem & Transsylvaniæ Vojevodam, æmulum habuerit; contra illum tamen filiumque ipsi cognominem, (de quibus mox dicendum erit) superior evasit, ac diadema regium, sibi an. MDXXVII. Albæ collatum, masculè tutatus est. Accessit paullò post Regis Romani axioma, & tandem, *Carolo V.* fratre se imperio abdicante, suprema Imperatoris dignitas, quâ an. MDLVI. est potitus, licet titulo per biennium, fratre vivo abstinuerit.

Hinc igitur facilè liquet, cur *Ferdinandus* in præsenti nummo nostro EL*ectus* ROM*anorum* IM*perator Semper* AV*gustus*, GE*rmaniæ*, HV*ngariæ* BO*hemiæque* Rex salutetur; cujus cæteroqui numismatis typus à præcedenti nihil differt, si adversi lateris siglas monetales, & aversi scutulum, imagini *S. Mariæ* substratum, excipias. Nam illæ, quæ effigiem

effigiem *S. Ladislai* ſtipant, literæ K. B. (in *Ferdinandi* hujus & ſucceſſorum nummis ſæpiſſimè occurrentes) deſignant certum aliquem Hungariæ locum, ubi aurei argenteique hujus regni nummi ſignantur: & quidem, vel *Kapnick Baniam*, (quæ & *Nagi Bania* audit) in Transſylvaniæ confluentem; vel potius *Kremitz Baniam*, ſive *Cremnitium*, Hungariæ ſuperioris oppidum, ad Granum flumen, in tractu illo, ubi urbes metallicæ & monetales (die Berg-Städte) ſitæ ſunt. Scutulum vero nummi noſtri, quod imagini παιδοφόρου virginis ſubſternitur, faſciam Archiducatus *Auſtriæ* continet, adeoque teſſera *Ferdinandi* gentilitia eſt; qui, poſtquam ex uxore ſupra memorata quindecim utriusque ſexûs liberos procreavit, ſexagenario major an. MDLXIV. die XXV. Julii (S. *Jacobo* Apoſtolo ſacrâ) Viennæ obiit.

XI.

JOHANNES I.

S. LADISLAVS. REX. 1534. *Effigies S. Ladislai armati, &c.*

JOANNES. D. G. R. VNGARIE. *S. Maria* παιδοφόρος.

EN illum *Ferdinandi* I. æmulum, cujus ſupra mentionem fecimus. Fuit is JOANNES de *Zapolia*, Comes Scepuſienſis (von Zips) & Transſylvaniæ Vojevoda, patre *Stephano* circa an. MCCCCLXXXVII. ex matre Teschinenſi in hanc lucem editus. Hic, quoniam ampliſſimas in Hungaria ditiones tenuit, ſimulque magna Nobilium gratia gaviſus eſt, non tantùm vivo adhuc *Vladislao* II. Rege (quem ſine maſcula prole deceſſurum putabat) ad Pannoniæ regnum adſpiravit, ſed etiam effecit, ut filio ipſius *Ludovico* an. MDXXVI. mortuo, â proceribus nonnullis ſurrogatus fuerit. Hinc, aliis magnatum *Joanni* huic addictis, aliis autem *Ferdinandum* Auſtriacum Poſonii in Regem eligentibus, graviſſima animorum diſſenſio exorta eſt, quæ non potuit non in inteſtinum bellum erumpere. Uterque enim Rex coronam ſibi impoſitam armis tueri voluit, & quidem *Joannes* noſter tantò acriùs, quantò truculentior ipſi animus â natura fuit conceſſus; quem *Vladislao* imperante ſatis prodidit, dum *Georgium Zeckelium*, rebellium ruſticorum ducem, non tantùm coronâ candente excruciari, ſanguinemque ipſius Germano fratri propinari juſſit, ſed vivum quoque triginta ſociis, triduò fame macera

cera

ceratis, belluarum in morem dentibus dilaniandum tradidit.

Prævaluit autem *Ferdinandus*, conſcriptoque exercitu æmulum ſuum eò adegit, ut relicta Hungaria in Poloniam ſe recipere coactus ſit. Sed quid non exulis aut rejecti Regis furor deſignat? *Joannes* hic quæſitas in Polonia apud *Sigismundum* R. (ex ſorore *Barbara* affinem ſuum, poſteaque ſocerum) ſuppetias non inveniens, evocato in Pannoniam *Solymanno*, Turcarum Tyranno, ſe regnumqve ſuum in tutelam obtulit: qvi numeroſiſſimo exercitu Hungariam ingreſſus, Budam cepit, eandemqve *Joanni* exuli reſtituit; immò in ipſam penetravit Auſtriam, ac Viennam metropolin obſedit, qvam tamen expugnare non potuit, ſed mox ſolutâ obſidione domum eſt reverſus, qvod an. MDXXIX. exeunte accidit.

Tandem bini iſti Hungariæ Reges, tantorum motuum pertæſi, de pace ineunda cogitârunt, qvæ *Caroli V.* Imp. aliorumqve Principum operâ an. MDXXXVIII. Varadini fuit firmata eâ lege, ut *Johannes* qvidem, qvoad viveret, regio titulo Budâqve regni ſede uteretur, ſed eô mortuo omnis Hungaria ad *Ferdinandum* vel ipſius poſteros rediret. His autem pactis haud diu ſuperfuit *Johannes*, ſed,

poſt-

postqvam *Isabellam* (vel *Elisabetam*) *Sigismundi* Poloniæ Regis filiam, matrimonio sibi copulavit, genito ex ea filio sibi cognomine, an. MDXL. ætatis LIII. Sassebessi obiit, & Albæ juxta cæteros Hungar. Reges sepultus est.

Ad aureum *Johannis* hujus nummum qvod attinet, is â Superioribus non est diversus, nisi qvod *S. Ladislaum* utrinqve siglæ nobis planè ignotæ stipent; & *S. Mariæ*, τεκνοφόρῳ scutum Regis *gentilitium* substratum sit, Lupi aut alterius id genus animalis πρόδρομην, è monticulo triplici erumpentem, ostendens.

XII.

JOHANNES II.

JO. SECV. D. G. ELE. REX. VN. 1570. *Insignia coronata.*

PATRONA. VNGARIE. *S. Maria* τεκνοφόρος.

JOhannes hic, nominis istius SECV*ndus*, (cui præterea qvoqve *Sigismundi* nomen fuit) præcedentem *Johannem I.* patrem habuit, matrem verô *Isabellam* (vel *Elisabetam*) *Sigismundi* Poloniæ Regis filiam. Juvenis admodum

dum regiâ dignitate fuit ornatus, cum ipsi, an. MDXL. paullò ante patris obitum nato, eo ipso tempore, qvo sacro baptismatis fonte levatus est, proceres nonnulli coronam Hungaricam imposuerint; unde in præsenti nummo ELE*ctus* REX VN*gariæ* appellatur.

Sed ista res maximas in Hungaria turbas peperit. Cùm enim *Ferdinandus* Austriacus, legitimus Hungariæ Rex, novum illum æmulum ferre non posset, adeòqve contra ipsum militem educeret; *Solymannus*, Turcarum Imperator, regiiqve pueri tutor, ab *Isabella* evocatus, omnem latè Hungariam vastavit, immò ipsam regni metropolin Budam cepit, eamqve (cliente vel pupillo suo cum matre in Transsylvaniam ablegato) præsidio Turcico firmavit. Qvamvis etiam *Isabella* non contemnendas pacis conditiones à *Ferdinando* obtinuerit, qvibus (præter annua stipendia) filio ipsius *Johanni* regales nuptiæ *Johanna, Ferdinandi* filiæ, pactæ fuerunt; neqvicqvam tamen desiit res novas moliri, sed denuò Transsylvaniam, & vicinia ei loca, suo filiiqve subjecit imperio. Immò *Ferdinando* an. MDLXIV. mortuô, *Johannes* hic, Turcicis auxiliis suffultus, omni nisu filio ipsius successori *Maximiliano II.* se opposuit. Qvi licet per for-

tiſſimum belli ducem *Lazarum Schvvendium*, cum maſculè repulerit, non potuit tamen prohibere, qvin prædatorius Turcarum exercitus miſeram longè lateqve afflixerit Hungariam.

Tandem *Johannes* iſte, *Zapoliæ* gentis ultimus, unâ cum patre ſuo (ob barbaros hoſtes patriæ immiſſos) verè altera *Pannoniæ Helena*, eo ipſo, qvo nummus noſter ſignatus eſt, anno MDLXX. (vel, juxta alios, ſeqventi) ætatis trigeſimo primo, non ſine veneni ſuſpicione obiit.

In aureo ipſius, qvem deſcribimus, nova B. Virginis θεοτόκου perigraphe occurrit, cùm ea, ſolenni nummorum Hungaricorum titulo, PATRONA VNGARIÆ appelletur. Attamen, qvid ſibi velit figura iſta, qvæ duorum (ut videtur) gladiorum, mucronibus deorſùm verſis decuſſatim trajectorum, ſpeciem refert, & pedibus *S. Mariæ* ſubjicitur, non capimus.

Inſignia alterius lateris, qvæ corona regia (iſtius ſæculi) aperta tegit, qvadripartita ſunt. Prioris qvadrantis, denuò qvadrifariam ſecti, laterculus primus δεῖγμα *Johannis gentilitium*, Lupum ſcilicet, vel aliam id genus feram, è monticulo triplici erumpentē, exhibet: Qvalis teſſera etiam ſola, absqve ulteriori ornatu, (niſi qvod anni numerus, lunæqve

&

& ſtellæ figura accedat) argenteis hujus Principis uncialibus, averſâ parte plane non ſignatis, impreſſa eſt, cum lemmate: JO*hannes* SE*cundus* REX. VN*gariæ*. (Ita enim harum vocum compendia efferenda eſſe, & non, ut vulgò legi ſolent: JO*hannes* SE*puſienſis*, &c. ex auro noſtro manifeſtum eſt.) Vid. *Luckii* Syllog. Num. p. 214. Laterculum ſecundum implet crux Patriarchalis *Hungariæ*; Tertium tæniæ transverſæ *ejusdem regni* permeant; & qvartô deniqve (ni fallor) Leo *Boſnicus* conſpiciendus eſt. Secundus majoris ſcuti qvadrans Aqvilam oſtentat, qvæ *Poloniæ* regnum deſignat, cui *Johannes* noſter, ob matrem *Iſabellam*, *Sigismundi* R. filiam, natales ſuos debuit. Tertius qvadrans Boam (ſerpentum genus) aurọ coronatam, gyrisqve aliqvot contortam, præfert, ex cujus ore infans cruentus erumpit. Hæc *Mediolanenſis* Ducatûs teſſera eſt, fabuloſâ vulgò originis traditione ad *Ottonem* qvendam referri ſolita, qvi *Volucem* gigantem, ejusmodi Symbolo ſcutario ſuperbientem, cæcidiſſe dicitur. Inſeruit autem *Johannes* noſter hoc δεῖγμα ſuo clypeo, ob aviam ſuam, *Bonam*, *Johannis Galeacii*, Mediolanenſis Ducis, filiam, qvæ in conjugio *Sigismundi* Poloniæ Regis vixit, & ipſi *Iſabellam* ſœpius nobis dictam,

Johannis matrem, peperit. Vltimo deniqve qvadranti tria capita pardalina coronata inscripta sunt, qvæ *Dalmatiæ* regnum (unà cum vicinâ Croatiâ, à *S. Ladislao* Rege post mortem *Zolomeri* affinis occupatum, & Hungariæ assertum) denotat.

XIII.

MAXIMILIANVS II.

S. LADISLAVS. REX. 1576. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo.* K. B.

MAX. II. D. G. EL. RO. I. S. AV. GE. H. B. R. *Effigies S. Mariæ.*

F*Erdinando I.* Imperatori mortuo tàm in Hungariæ Bohemiæqve regnis, qvâm in ipso Romano-Germanico Imperio successit filius natu major, MAX*imilianus*, ex *Anna* conjuge (qvam supra diximus) an. MDXXVII. Viennæ susceptus, optimoqve proinde jure in nummo nostro EL*ecti* R*Omanorum* I*mperatoris* S*emper* AV*gusti*, GE*rmaniæ*, H*ungariæ*, B*ohemiæqve*, R*egis* axiomate præditus. Is merito *secundus* audit, cùm Proavus ipsius *Maximilianus I.* in supremâ Christiani orbis, hoc est, Impera-

toria dignitate eum antecesserit. An autem pari modo etiam respectu regni Hungariæ *secundus* appellari possit, dubium est. Nam licet *Maximilianus* I. Imperator an. MCCCCXC. haud exiguam Hungariæ partem armis adqvisiverit, Albâque Regali expugnatâ non tantùm titulô sed etiam tesserâ scutariâ hujus regni usus sit, quod ipsum postea solennibus cum *Vladislao* Rege pactis fuit confirmatum; Coronam tamen Hungariæ non adeptus est, adeoqve vulgò inter Pannoniæ Reges non solet numerari, unde sunt, qvi nec pronepotem ipsi ὁμώνυμον istius regni intuitu *secundum* dici posse autumant. Sed hanc litem nostram non facimus.

Fuit *Maximilianus* (inter Imperatores sine controversia *secundus*) vivo adhuc *Ferdinando*, an. MDLXIII. mense Septemb. Posonii diademate regio Hungariæ ornatus, qvod etiam seqventi die uxor ejus *Maria, Caroli V.* Imp. filia, obtinuit. At Bohemiæ regnum ipsi jam an. MDLXII. erat collatum, nec non eximium Regis Romanorum decus, cui mox à parentis obitu Imperatorium munus fuit superadditum.

Infensum verò in Hungaria æmulum *Maximilianus* habuit, *Johannem* scilicet II. de Zapolia, Comitem Scepusiensem & Transsylvaniæ Vojevo-

 dam.

dam, qvi (ceu diximus) post parentis cognominis fata sibi regnum vendicans, & à *Solymanno* Turcarum Imp. adjutus, non exiguam ipsi molestiam creavit. Vtrumqve igitur repulsurus *Maximilianus*, partim ipse cum exercitu in Hungariam movit, partim verò per expertos belli duces hosti se opposuit, avitiqve regni provincias, qvantum licuit, tutatus est. Inprimis eo tempore memorabilis illa castelli *Zigethensis* expugnatio accidit, qvâ animosus heros *Nicolaus*, Comes *Zerinius*, in medios hostes irruendo mortem oppetere maluit, qvàm vivum sese ipsis dedere; qvâque nondum perfectâ *Solymannus* ipse, in castris præsens, obiit.

Decennio autem pòst, etiam *Maximilianus*, noster viventium numero ereptus fuit, anno MDLXXVI. die XII. Octob. Ratisbonæ in Comitiis mortuus: Cujus aureus nummus ab eo, qvem supra ab ipsius patre *Ferdinando* cusum vidimus, haud diversus est.

XIV.

RVDOLPHVS.

S. LADISLAVS. REX. 1586. *Effigies S. Ladislai, cum bipenni & globo.* K.B.

RVDOL. II. D. G. RO. I. S. AV. GE. HV. B. R. *Effigies S. Mariæ.* RV-

RVDOL*pho* huic *ſecundi* numerum non ut Hungariæ Regi, ſed potius ut Romano Imperatori competere manifeſtum eſt. *Rudolphus* enim I. Habspurgicus, cui omnes ſeqventium ſæculorum Auſtriaci originem debent, in Hungariam nihil juris habuit; Attamen Imperator fuit, ideoque iſte, qvi nobis hîc exhibetur, *Rudolphus* alter, prioris illius intuitu meritò *ſecundus* dicitur. Hunc *Maximilianus II.* Imp. an. MDLII. ex *Maria* conſobrina genuit, eiqve adhuc vivus an. MDLXXII. Poſonii regium *Hungariæ* diadema imponi curavit, cui paucis annis interjectis corona *Bohemica* acceſſit, & tandem patre mortuo ſuprema *Imperatoris* dignitas, qvam per ſex & triginta annos tenuit.

Qvod ad Hungariæ regnum attinet, id qvidem *Rudolphus* noſter ſatis pacatum adiit, durantibus adhuc induciis, qvas pater ipſius *Maximilianus* II. cum Turcis pepigerat. At illis expirantibus bellum recruduit, fuitqve ab an. MDXCI. per integros qvindecim & qvod excurrit annos vario Marte geſtum, adeò ut modò Turcæ, modò Hungari ſuperiores evaſerint. Gravem qvoque ſub auſpicium hujus ſæculi *Rudolphus* adverſarium nactus eſt,

Stepha-

Stephanum Botskay, (vel, ut in nummis uncialibus argenteis se ipsum vocat, *Stephanum Bochkay de Kismaria*.) Transsylvaniæ Principem; qvi religionis libertatem â ministris regiis sibi eripi caussatus, armis eandem defendere tentavit, vocatisqve in auxilium Turcis, non tantùm in Principatu Transsylvaniæ ab iis fuit confirmatus, sed Bosniam qvoqve & Serviam obtinuit. Vtramqve procellam *Rudolphus* qvidem haud multo post dissipavit, primùm an. MDCVI. cum *Botskayo*, deinde vero etiam cum Turcis pace initâ; Sed (qvæ fatorum invidia est) istâ reqvie non diu frui potuit. Nam frater ipsius *Matthias*, Archidux Austriæ, malevolorum hominum susurris motus, arma arripuit, ductoque in Bohemiam milite, ad ipsam regni metropolin Pragam, qvam *Rudolphus* incolebat, castra posuit, â fratre Imperatore exigens, ut præter *designati Bohemiæ Regis* titulum, Coronam *Hungariæ* cum omni istius regni jure sibi traderet. Vtrumqve armatâ manu facilè extorsit, maluitqve *Rudolphus*, pacis & subditorum incolumitatis amans, Hungariâ cedere, qvàm iracundi fratris vim experiri; qvapropter diadema regni, cum insignibus reliqvis eò pertinentibus, solenni pompâ Pragâ deductum, *Matthiæ* Archiduci in aperto

cam-

campo à Cardinale *Dietrichſteinio* an. MDCVIII. d. XVII. Junii fuit traditum.

Redintegratâ itaqve inter duos hosce fratres pace, *Rudolphus* nihilominus Hungariæ Regis titulum & inſignia ad mortem usqve geſſit, qvam an. MDCXII. d. x. Januarii cœlebs oppetiit, licet non planè ἄπαις fuerit, ut in Sylloge noſtra Nummor. uncial. Impp. p. 83. docuimus. Aureus verò ipſius nummus, hîc propoſitus, cum præcedenti ad amuſſim congruit.

XV.

MATTHIAS II.

MATTHIAS. II. D. G. REX. HVN. &c.
Effigies Matthiæ Regis coronati & ornati.
K. B.

DES. IN. REG. BO. AR. AVS. &c. 1611.
Effigies S. Mariæ.

QVod hic MATTHIAS, præcedentis *Rudolphi* frater, & *Maximiliani* II. Imp. filius, in nummo noſtro *ſecundus* appellatur, ob *Matthiam* Hunniadem Corvinum fit, qvem inter Hungariæ Reges [illegible] nominis *primum* fuiſſe, ſupra vidimus. Succeſſit autem alter hic *Matthias* in Hungariæ regno *Rudolpho*

fratri, vel potius illud ipsi adhuc vivo an. MDCVIII. extorsit, ceu paullò ante observavimus. Et licet in præsenti aureo saltim DES*ignatus* IN REG*em* BO*hemiæ* dicatur, qvem titulum unà cum diademate Hungarico obtinuit; nihilo minus tamen eo ipso, qvi hôc nummo signatur, an. MDCXI. d. XXIII. Maji Pragæ fuit coronatus, simulq; plenâ regni Bohemici possessionem adiit. Immò isto etiam anno uxorem duxit, *Annam* consobrinam, *Ferdinandi*, Archiducis Austriæ, ex *Anna Catharina Gonzaga*, Mantuæ Duce, filiam, qvæ ipsi tamen liberos heredes nullos peperit. Tandem fratre *Rudolpho* mortuo, an. MDCXII. Romanorum Imperator fuit electus, cui dignitati per Septennium præfuit.

Meretur autem in præsenti aureo notari singularis *Matthiæ* habitus, qvo sese ut *Hungariæ* Regem exhibet. Capite enim gerit *Coronam Hungaricam*, Sacram illud Pannoniæ Palladium, qvod cœlo descendisse prohibent, licet alii dicant *Stephanum* R. diademate isto an. M. â Romano Pontifice donatum fuisse. Coronam hanc vivis qvasi coloribus expressam nobis sistit ejusdem custos & depositarius, *Petrus de Reva*, Comes Thuroczius, peculiari de *S. Corona Hung.* commentario; ubi f. 143. docet, eam constare ex auro solido, artificio Sculpturæ magis

gis cœlesti qvàm humano, & esse in orbem fusam, â cujus latiore circumferentia novem triangulares pinnæ, totidem unionibus majusculis radiantes, circumemineant. Porrò qvatuor absides, angulis rectis se mutuò intersecantes, in crucem desinere ait; in ipsa verò peripheria tam Salvatoris CHRISTI, qvàm B. Virginis *Mariæ*, aliorumqve Sanctorum, Apostolorum & Martyrum imagines conspici, qvarum nomina Græcis literis addita, singulæqve icones pretiosissimis gemmis & unionibus distinctæ sint. Tandem refert, ab utroqve aurium latere, nec non â postica coronæ parte, gemmas aliqvot, reliqvis pretiosiores, numero novem, totidem aureis catenulis dependere, ad levem sacri capitis motum sese mutuâ qvadem harmonia commoventes, & vel certa qvædam monita (ab auctore allata) Regi suggerentes, vel etiam (unà cum novem istis pinnis margaritiferis, qvas diximus) regna & provincias novem, Hungariæ incorporatas, *Dalmatiam* puta, *Croatiam*, *Sclavoniam*, *Serviam*, *Bosniam*, *Galliciam*, *Lodomeriam*, *Bulgariam* & *Cumaniam* designantes. Cœterum exactam istius Coronæ delineationem affert *Sigismundus â Bircken*, im Oesterr. Ehrenspiegel / l. V. c. XVII. p. 726.

Post ornamentum capitis in *Matthiâ* nostro

venit obſervanda *Veſtis regia*, qva amictus eſt. Hæc partim *Daimaticâ*, ſive tunicâ longiori ad pedes defluente, & opere Phrygio prætextâ, conſtat, qvale veſtimenti genus â perſonis Eccleſiaſticis in uſum Regum tranſiit, ceu inter alios apud *J. C. Becmanum*, in Syntagmate Dignitatum Illuſtr. Diſſ. VII. c. I. videas; partim verò *Palliô* ſive *paludamento S. Stephani* abſolvitur, qvod ad Clinodia regni Hungariæ ſpectat, & unà cum illis ſanctè Poſonii aſſervatur. Eſt autem Pallium iſtud (deſcribente *Petro de Rewa* d. l. f. 149.) *non tam vetuſtate & cenſu, qvam religione picturæ admirabile, ex ſerico factum uranei coloris, cui Dei thronus & Apoſtoli omnes cum divina Majeſtate ex parte una, parte altera triumphus Chriſti à Cruce, ex auro contexti, in palmatæ veſtis Specie, &c.* Paludamenti hujus picturam (ceu idem Auctor refert) *Matthiâ* noſtro regnante Romanus Pontifex videre geſtiit; qvam ipſi qvidem promiſit Rex, ſed difficulter â proceribus obtinuit, ut ſibi liceret ſacram illam veſtem delineationis ergò Viennam deportare: Immò ſupradictus theſauri hujus depoſitarius & Conſervator, Comes Thuroczius, Regem eò comitatus eſt, nec prius inde diſceſſit, qvàm pallium iſtud reliqvis regni cliniodiis rurſus addendum receperit. Huc etiam pertinent pedum tegumenta, in nummo noſtro conſpicua, *Calceamenta* ſcilicet

vel

vel *Ocreæ*, qvæ inter alia veſtimentorum genera plurimis abhinc ſæculis in ſolenni Regum inauguratione fuerunt adhibitæ. Itâ enim jam olim Imperatores *Conſtantinopolitani* τζάγγα ſua, vel τζαγγία & τζάγχα, habuerunt, cothurnos gemmis & unionibus diſtinctos, de qvibus *Carolus du Fresne* in Gloſſario Græco, aliiqve rerum Byzantinarum ſcriptores conſulendi. Nec deſunt in hunc usqve diem *Galliæ* Regibus, qvoties patrio ritu inaugurantur, tales ocreæ, qvas ante hos XVI. annos, in ſacro regalis Abbatiæ *S. Dioniſii* (prope Lutetiam) theſauro, aſſervatos vidiſſe meminimus. Voluerunt itaqve & *Hungari* ſuorum Regum pedes ac crura ejusmodi tegumentis veſtire, ut haberent (*Petro de Rewa* iterùm interprete) *vigilantiæ & induſtriæ Symbolum, qvò admonerentur, ne in iis rebus, qvibus ſaluti & commodo regni conſulitur, ſtudium & induſtriam detrectarent, ſed expeditam in officio hoſteqve perſeqvendo velocitatem præſtarent.*

Jam *manum* geſtamina videamus. An illæ *Chirothecis* munitæ ſint, in nummo noſtro non diſcernere licet; Attamen vel ex dicto *J. C. Becmani* Syntagmate, l. c. p. 710. novimus, Hungariæ Regibus *candida* manum tegmina in uſu eſſe, de qvorum ſignificatu iterùm *P. de Rewa* philoſophatur, *moneri Regem, ne ſubditorum bonis inhiet, ea per fas & nefas rapiat, ſed ab*

 omni

omni rapina, doli & fraudis crimine, mundas habeat manus, qvin & ab innocenti ſangvinis ſubditorum ſuorum effuſione abſtineat. Dextrâ interim *Matthias* noſter *Sceptrum* gerit, antiqviſſimum illud ſupremæ poteſtatis, auctoritatisqve eminentioris Symbolum, qvod ſimul etiam Clementiæ nonnunqvam δεῖγμα eſt. Paullò aliter autem *Hungaricum* hocce Sceptrum, qvod nummo noſtro exhibetur, formatum eſt, ac vulgò Regum ſceptra comparata eſſe ſolent, cum *brevius* nonnihil ſit, *ſummitate rotunda, ſimillimum Clavæ Hungaricæ, gemmatis qvaternis dependentibus appendicibus,* ceu denuò *P. de Rewa* illud deſcribit f. 149. Siniſtrâ deniqve manu *Matthias Globum* tenet, ſolenne Regum inſigne, cui *duplicata* ſive *gemina crux Patriarchalis* impoſita eſt, qvæ *Stephano* R. ſuam debet originem, eumqve ſimul Regem & Apoſtolum Hungariæ fuiſſe denotat.

Hæc ſunt, qvæ circa ſingularem *Matthiæ* noſtri habitum, qvo aureo præſenti ſiſtitur, obſervâſſe juvat. Cætera, cùm toties jam occurrerint, operoſa explicatione non indigent. Qvapropter hoc ſolum addimus, *Matthiam* deniqve an. MDCXIX. d. XX. Martii Viennæ eſſe mortuum nulloſq; reliqviſſe liberos, qvi ipſi vel in Imperio Romano-Germanico, vel in provinciis hereditariis potuerint ſuccedere.

XVI.

FERDINANDVS II.

FER. II. D. G. R. I. S. A. GE. H. B. REX. *Effigies Ferdinandi coronata & armata, dextra sceptrum, sinistra globum tenens,* K. B.

AR. AV. DV. BV. MO. CO. TY. 1626. *Effigies S. Mariæ, &c.*

FERdinandus hic, nominis istius in Regno Hungaricæ non minus, qvam Romano Imperio, *secundus*, præcedentis *Matthiæ* patruelis fuit, *Caroli* scilicet, Archiducis Austriæ, ex *Maria* Bavara filius, an. MDLXXVIII. d. IX. Julii, Græcii in hanc lucem editus; qvi vivo adhuc *Matthia* (cùm nulla ipsi spes prolis superesset) Bohemis Hungarisqve in Regem fuit datus, & Bohemicum qvidem diadema an. MDCXVII. Hungaricum verò seqventi MDCXVIII. ipsis Julii Calendis obtinuit. Deinde patruele mortuo, accessit etiam Romani Imperatoris dignitas, adeò ut merito in præsenti nummo R*omanorum* I*mperator* S*emper* A*ugustus*, GE*rmaniæ*, H*ungariæ*, B*ohemiæqve* REX vocetur.

Sed ista *Ferdinandi* felicitas non omnibus pla-

planè numeris fuit abſoluta. Nam, ſicut refractarii *Bohemi*, negatam ſibi religionis libertatem cauſati, alium Regem, *Fridericum* ſcilicet Palatinum, elegerunt, unde tricennale Germaniæ bellum exarſit; ita etiam in *Hungaria* non defuit, qvi regnum iſtud *Ferdinando* voluit eripere. Fuit is *Gabriel Bethlen*, ſeu, ut vulgò appellatur, *Bethlen Gabor*, Transſylvaniæ Princeps, qvi milite conſcripto varia Pannoniæ oppida, & in his Poſonium (regii diadematis ἀποθήκην) occupavit, nec non an. MDCXX. d. XXV. Aug. Rex Hungariæ creatus fuit. Iſtius enim rei memoriam ſervant unciales aliiqve Principis hujus nummi, an. MDCXXI. & ſeqventi cuſi, cum perigraphe: GABRIEL, D. G. EL*ectus* HVNGARIÆ, DAL*matiæ*, CR*oatiæ*, SCL*avoniæ* REX, &c. ne dicam de ſacra Hungariæ corona, qvæ, inſignibus *Hungarico-Transſylvanis* in averſo nummorum iſtorum latere imminet.

Verùm iſthunc æmulum *Ferdinandus* noſter mox compeſcuit, miſſoqve contra eum exercitu non tantum loca ab ipſo occupata recuperavit; ſed qvoq; an. MDCXXII. illum eò adegit, ut pacis conditionibus acceptis, omni in Hungariam juri regioqve titulo renunciaverit. Qvæ licet pax ſæpius labefactata fuerit, nunqvam non tamẽ fuit iterum redintegrata, & tandem *Gabriel* iſte (*Catharinæ* Brandenburgicæ maritus) an. MDCXXIX. d. XV. Nov. aqvâ intercute ad plures abiit.

Hôc igitur adversario liberatus *Ferdinandus*, Hungariam solus tenuit, eamqve unà cum regnis & provinciis reliqvis ad annũ usqve MDCXXXVII. providè & feliciter administravit, qvo ipso d. XV. Febr. Viennæ mortalitatẽ explevit, priori è conjuge *Anna Maria* Bavara (an. MDC. ducta) aliqvot liberos, posteriorem verò uxorem, *Eleonoram* Gonzagam, Mantuæ Ducem (sibi an. MDCXXII. nuptam) viduam improlem relinqvens.

Imperatoris autem habitu *Ferdinandus* hic nummo nostro expressus est, cujus averso latere (præter ARchiducis AVstriæ titulum) DVx BVrgundiæ, MArchio MOraviæ, COmes TYrolis, appellatur; & qvidem summo suo merito, cùm provinciæ istæ (ceu nobis alibi dictum) â pluribus retrò sæculis ad Archiducalem familiam *Austriacam* spectaverint. Bipertitus deniqve clypeus, sub effigie S. *Mariæ* τεκνοφόρυ, lunam calcantis, radiisqve cinctæ, conspicuus, hinc tænias *Hungaricas*, inde verò Crucem istius regni geminam sive patriarchalem exhibet. XVII.

FERDINANDVS III.

FER. III. D. G. R. I. S. A. GE. H. B. REX.

Effigies Imperatoris coronati & armati, cum sceptro & globo. K. B.

AR. AV. DV. BV. MA. MO. CO. TY. 1640.

Effigies S. Mariæ. H *Fer-*

FErdinandum II. in Hungariæ regno (nec non in Bohemia, ac Imperio Romano-Germanico) excepit FERdinandus III. filius, qvem an. MDCVIII. d. XIII. Julij ex *Anna Maria* Bavara susceperat. Is vivo adhuc patre, eodemqve Posonij præsente, an. MDCXXV. in Regem Hungariæ electus, ac d. VIII. Decemb. coronatus fuit: Cujus inaugurationis solennia fusè describit *Galeatius Gvaldus*, Italus Comes in vernacula Imperatoris hujus *Ferd. III.* Historia, part. I. lib. III. p. 153. sqq. simulqve nummorum istius rei memorialium, tum temporis in vulgus sparsorum, meminit, *nelle qvali da una parte era scolpita una bilancia ed un Crucifisso, col motto:* PIETATE ET IVSTITIA; *e nell' altera l' an. MDCXXV. della Coronatione, col nome & età del Rè, che era di XVII. anni.* Alium hujus generis nummum in *Sylloge nostra*, p. 125. seq. descriptum videas.

Habuit autem *Ferdinandus* hic in Hungaria vicinisqve regionibus sibi infestum, non tantum *Ibrahim* Turcarum Imperatorem, defuncti *Amurathis IV.* fratrem, cum qvo an. MDCXLII. viginti annorum inducias pepigit; sed etiam *Georgium Rakoczy*, Transsylvaniæ Principem, qvi Svecorum Gallorumque fœdere nixus, magnas huic regno molestias creavit, & vix demum anno MDCXLV. pacis conditiones amplexus est. At

isti-

iſtis turbis quà fieri potuit compoſitis, Imperator filium *Ferdinandum IV.* (ex *Maria Anna, Philippi III.* Hiſpaniæ Regis, gnata, anno MDCXXXIII. genitum) Hungaris Regem dedit, eundemque an. MDCXLVII. d. XVI. Junij ſolenni ritu fecit coronari; qvi tamen ultra Septennium iſta dignitate haud gaviſus eſt, ſed an. MDCLIV. morbillis ſeu variolis oppreſſus obiit: cui præmaturo fato vel arcendo vel ſufflaminando tres coronæ qvibus ornatus fuit, *Bohemica* ſcilicet *Hungarica* & *Romana*, impares extiterunt.

At brevi mitigatus fuit acerbus ille domus Auguſtæ luctus, poſtqvam alter *Ferdinandi* III. filius, *Leopoldus*, (qvi hodie immortali nominis gloriâ ſummæ Chriſtiani rei præeſt) in *Hungariæ* regno fratri fuit ſurrogatus, qvod an. MDCLV. d. XVII. Junii maximo ſplendore & exqviſita prorſus magnificentia contigit; accedente mox etiam Regis *Bohemiæ* axiomate, qvod ipſi anno ſequenti MDCLVI. fuit collatum.

Iſti autem mœroris gaudijqve viciſſitudini haud diu ſuperfuit *Ferdinandus* pater, ſed anno MDCLVII. d. II. Apr. digniſſimam ulteriori inter mortales commoratione animam efflavit diverſis è triplici (*Mariæ Annæ* Hiſpanicæ, *Mariæ Leopoldinæ* Auſtriacæ, & *Eleonoræ* Mantuanæ) con-

jugio liberis relictis, qvi summas ubique dignitates, non minus ecclesiasticas qvam seculares, consequuti sunt.

Qvod aureum Imperatoris hujus nummum, qvem exhibemus, attinet, is præcedenti planè similis est, adeòque ulteriori tam figurarum, qvam siglarum titulorumque ipsius explicatione supersedere possumus.

XVIII.

LEOPOLDVS.

LEOPOLD. D. G. R. I. S. A. G. H. B. REX
Effigies Imp. coronata & armata, &c.
AR. AV. DV. BV. M. MO. CO. TY. 1689
Effigies S. Mariæ.

QVos hactenus enarravimus Hungariæ Reges, orbis qvidem vidit sed amisit iterum; Is autem, qvem nunc auro expressum sistimus, divinâ gratiâ adhuc superat, & Augustissimus noster LEOPOLD*us* est, præcedenti *Ferdinando* III. Patre ac *Maria Anna* (filia *Philippi* III. Hisp. R.) matre, an MDCXL. d. IX. Junij Viennæ in hanc lucem editus. Huic, præter reliqvas *Ignatii Francisci, Balthasaris* & *Josephi* appellationes, insigni sanè omine etiam *Feliciani* nomen obtigit, cùm omni hactenus vitâ, rebus feliciter & ex voto gestis, amicâ nominis ominisqve conspiratione verè *Felicianus* fuerit. Vix enim quindecim annos superans,

perans, majori natu fratri *Ferdinando* (ipſi non minùs, qvam fatorum legibus cedenti) in ampliſſimo, uti diximus, *Hungariæ* regno ſucceſſit; mox etiam *Bohemiæ* coronam nactus eſt, & tandem patre vivis erepto, unanimi procerum Germaniæ conſenſu an. MDCLVIII. Francofurti *Rex Romanorum ac Imperator* fuit electus, ſolennique ritu d. XXII. Jul. inauguratus, ceu *Galeatius Gvaldus*, in Italica Imperatoris hujus Hiſtoria, part. I. lib. II. pluribus perſeqvitur.

Nec minori hactenus fortunâ *Optimus* hic *Princeps* noſter contra hoſtes uſus eſt. Nam, ut eos ſaltim memoremus, qvi ipſi, ut *Hungariæ* Regi, ſeſe inimicos præbuerunt, inde ab an. MDCLXI. ad hæc usqve tempora diverſos partim Transſylvaniæ Principum, & refractariorum ſubditorum motus proſperè compoſuit, partim verò Turcas Hungariæ infeſtos repreſſit & coërcuit. Immò juratis hisce Chriſtiani nominis hoſtibus, poſt terminatas XX. annorum inducias, anno MDCLXXXIII. tam inſolenter ſe gerentibus, ut in ipſam non tantum Auſtriam irruerent, ſed etiam Viennam metropolin, ſedemqve Imperatoriam, obſidione cingerent, fortiter reſtitit *Leopoldus*, eosqve ſuis & fœderatorum Principum armis ad ſubitam obſidionis ſolutionem ac turpem fugam compulit.

pulit. Ne dicam varios cum his Turcis in Hungaria conflictus, ac insignes victorias ab iis reportatas, qvibus *Caroli* Lotharingiæ Ducis, aliorumqve Heroum virtus eminuit; item Regiæ veteris, Budæ, recuperationẽ, an. MDCLXXXVI. factâ, & id genus alia: qvorum recensio doctiori meritò ac disertiori calamo reservatur.

Summâ deniqve felicitate etiam *Leopoldus* noster tàm in avito Hungariæ regno, qvàm Romano-Germanico Imperio, sibi de futuro successore prospexit. Nam, licet è priori *Margareta Theresia* (*Philippi* IV. Hisp. R. filiæ,) & succedente *Claudia Felicitatis* (*Ferdinandi Caroli*, Austriæ Archiducis, natæ) conjugio, nullos longinqvioris vitæ heredes masculos susceperit; Tertia tamen uxor, *Eleonora Magdalena Theresia* (*Philippi Wilhelmi*, Electoris Palatini, filia) anno MDCLXXVI. ducta, binos ipsi Principes peperit, adhuc superstites. Horum alter, *Josephus*, an. MDCLXXVIII. d. XXVI. Jul. natus, Posonij anno MDCLXXXVII. in Regem *Hungariæ* inauguratus, nec non triennio post Augustæ Vindelicorum *Regis Romanorum* axiomate ornatus fuit; hoc ipso tempore, qvo ista scribimus, Serenissimæ Principi *Wilhelminæ Amaliæ* (filiæ *Johannis Friderici*, Ducis Brunsvico-

vico-Luneburgenſis) matrimonio jungendus: Alter verò *Carolus* Archidux, & Juventutis Princeps, an. MDCLXXXV. Calendis Octob. in hanc lucem editus, in ſpem decusq; Auguſtæ Domus adoleſcit.

Et hæc eſt *Series Regum Hungariæ*, qvam â trecentis & qvod excurrit annis repetitã, nummis aureis exhibere placuit. Aurea qvidem, fateor, ſub iis non ſemper Sæcula Pannoniæ fluxerunt; At ea tamẽ, vel iis qvantũ fieri poteſt proxima, ſpondet Auguſtisſimi noſtri *Leopoldi* pietas, filiiq; ſucceſſoris *Joſephi* virtus, qvorum utriqve prolixã annorum ſeriem, fata aurea, nepotumq; feliciter imperantium longe majorem numerũ, ac nobis hactenus computatus eſt, vovemus: certò perſvaſi, quemadmodum olim *Diocletiano* & *Maximiano* imperantibus, Carthaginenſes haud poſtremam ſpem ſalutis publicæ in horum Principũ incolumitate poſuerunt, teſte ſolenni nummorum lemmate: SALVIS AVGG. ET CAESS. FEL*ix* CART*hago*; ità multo magis fore, ut SALVIS AVG*uſtis* ET CAES*aribus* noſtris, tam piis, tã clementibus, tam providis, FEL*ix* PANNONIA, immò tota IMPERII Reſpublica futura ſit.

Pag. 5. lin. 18. pro XV. lege *ac*. p. 18. lin. 22. pro *alia*, lege *ala*. p. 21. lin. 17. pro *Symbulo*, lege *Symbolo*. p. 29. lin. antepenult. leg. δείγματι. p. 30. lin. 1. pro *vicinia* leg. *vicina*. p. 31. lin. 11. pro *Foxian* leg. *Foxiam*. ibid. lin. ult. pro *menotalia* leg. *monetalia*. p. 33. lin. 6. poſt *immaturo enim* adde *partu*. p. 40. lin. 17. leg. τεχνοφόρος. p. 42. lin. 23. lege *vel*. p. 52. lin. 24. l. *Clinodijs*, p. 53. lin. 12. l. *Dionyſii*, lin. 20. *manuum*. p. 55. lin. 9. l. *Hungaria*.

-❦(o)❦-

E NVMMIS AVREIS.



